Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36643
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

putat. Terminum dictum quod terre mensuras distinguat atque declaret. His enim testimonia finium distinguuntur et agrorum intentio et certamen aufertur. Limites maximi magis duo sunt cardo et decumanus. Cardo qui a septentrione directus a cardine celi est. nam sine dubio celum vertitur in septentrionale orbe. Decumanus est qui ab oriente in occidentem per transversum dirigitur. quod per eo quod formam X faciat decumanus est appellatus. ager enim bis divisus figuram denarii numeri efficit. Archa ab arcendo vocata. fines enim agri custodit eosque adire prohibet. Trifinium dictum eo quod trium possessionum fines astringit. Hic et quadrifinium quod in quattuor. Reliqui limites angustiores sunt se distant imparibus intervallis et nominibus designatis

De mensuris agrorum

Mensura est quicquid pondere capacitate longitudine latitudine altitudine animoque finitur. Maiores itaque orbem in partes partes in provincias provincias in regiones regiones in locos loca in territoria territoria in agros agros in centurias centurias in iugera iugera in climata deinde climata actus perticas passus gradus cubitos pedes palmos uncias et digitos diviserunt. Tanta enim fuit eorum sollertia. Digitus est minima pars agrestium mensurarum. Inde uncia habens digitos tres. palmus autem quattuor digitos habet. pes sedecim digitos. passus pedes quinque. pertica passus duos id est pedes decem. Pertica autem a portando dicta quasi portica. Omnes enim precedentes mensure in corpore sunt ut palmus pes passus et reliqua. Sola pertica portatur. Et enim decem pedum ad instar calami in Ezechiele in mensurantis templum. Actus minimus est latitudine pedum quattuor longitudine cxx. Climata quoque undique versum habent pedes lx. ita. lx ☐ lx. Actus quadratus undique finitur pedibus cxx. ita cxx ☐ cxx. Hunc Betici arapennem dicunt ab arando scilicet. cxx. Actus duplicatus iugum facit et ab eo quod est iunctum iugeri nomen accepit. Iugum autem constat longitudine pedum ducentorum xl latitudine cxx. ita cxx ☐ ccxl. Actum provincie Betice rustici agrum vocant. ccxl porcam. Hanc Betici xxx pedum latitudine et lxxx longitudine definiunt ita xxx ☐ xxx. Sub porca est quod in arando extat quod defossum est. xxx. Lira. Galli candetum appellant in agris urbanis spatium c pedum quasi centenum. in agris autem pedes cl quadratorum. iustum candetum vocant. Porro stadialis ager habet passus cxxv id est pedes dcxxv. cuius mensura octies computata miliarium facit. quod constat quinque milia pedibus. Centuria autem ager est ducentorum iugerum. quam apud antiquos a centum iugeribus vocabatur sed postea duplicata nomen pristinum retinuit.

De itineribus

Mensuras viarum nos miliaria dicimus. Greci stadia. Galli leugas. Egyptii signes. Perse parasangas. Sunt autem propriis queque spatio. Miliarium mille passibus terminatur et dictum miliarium quasi mille habens passus. pedes v milia. Leuga finitur passibus mille quingentis. Stadium octava pars miliarii est constans passibus cxxv. Hoc primum Herculem statuisse dicunt eumque eo spatio determinasse quod ipse sub uno spiritu confecisset et ex hoc stadium appellasset. quo in fine respirasset et sinitque constitisset. Via est qua potest ire vehiculum. et via dicta a vehiculorum incursu. nam duos actus capit propter euntium et venientium vehiculorum incursum. Omnis autem via aut publica est aut privata. Publica est que in solo publico est qua iter actus populo patet. Hec autem ad mare aut ad oppida pertinet. Privata est que vicino municipio data est. Strata dicta est quasi vulgi pedibus trita. Lucretius: strata quoque vulgi pedibus detrita viarum. Ipsa est et delapidata id est lapidibus strata. Primum autem peni dicuntur lapidibus vias stravisse postea Romani eas per omnem pene orbem disposuerunt propter rectitudinem itinerum et ne plebs